



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Elementa Doctrinae De Circvlis Coelestibvs, Et Primo
Motv**

Peucer, Kaspar

Vitebergae, 1576

VD16 P 1990

Physicaæ rationes hæ sunt.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56559)

lomo suo, Exultat vt Gygas ad currendum vis
 suam, ab extremo cœlorum egressus eius, & re-
 volutio eius ad extremum eorum. Notum est etiam
 recenseri inter miracula, quòd Deus Solem con-
 siliere voluit.

Physicæ rationes hæ sunt.

Vnius corporis simplicis, tantum vnus est mo-
 tus simplex.

Terra est corpus simplex.

Ergo non conuenit ei nisi vnus motus simplex.
 Sed simplicium motuum, vnum rectum, alterum
 circularem esse, superius ostensum est. Rectum aut
 sursum tendere, aut deorsum. Terræ partibus ve-
 ro rectus deorsum competit ad medium, quo dela-
 te acquiescunt. Ergo non competit terræ motus
 circularis.

Secundo, Omne graue natura, pondere suo fer-
 tur ad centrum secundum rectissimam lineam, in
 eoq; resistit, confidit & acquiescit, nec prolabi-
 tur aut nititur vltcrius. At omnia graua, vt ter-
 ræ partes, quæq; ex terra constant, ad terram re-
 ctissimo ductu delabuntur, atq; in eius superficiem
 decumbunt & conuiescunt, & ni soliditate terræ
 arcerentur & detinerentur, ad centrum vsq; pro-
 uherentur ac penetrarent. Recta enim linea, que

ad rectos insistit angulos plano Horizontis, in puncto, quo conuexum terræ Horizon attingit, semper ad centrum tendit, per 4. & 5. primi Theodo. & 19. tertij elementorum. Terra vero decidentia omnia excipit & sustinet. Ergo multo magis ipsa in centro fixa atq; immota haret & persistit, suis iuxta fultibus, cum omnium grauisima sit.

Tertio, si terra moueretur, aut recto, aut circulari motu ferri eam necesse esset. Si recto moueretur, cum sit omnium grauisima, celeritate reliqua graua omnia anteuerteret, destitueretq; animantia & alias res sibi innixas, atq; in aëre pendentes relinqueret. Si circulari motu circumageretur, & saltem diurna conuersione circa axem ab Occasu in Ortum volueretur, aut sola, aut cum primo orbe, singulis diebus multa acciderent absurdissima & contraria experientie. Etenim concitatissimum esse motum oporteret, ac celeritatem insuperabilem, quæ 24. horis orbem terrenum totum in gyrum contorqueret. At subita concitataq; vertigo, collectionem, & cohesionem rebus nascentibus necessariam in terra maxime, quæ nascentium omnium velut aluus est, impeditura esset. Imo nec animantia superficiæ terræ insistentia inconcussa manerent, nec in altum proiecta eo quo descendunt relaberentur, & μετέωρα, ut nubes vel

volitantia aut fluctantia in aëre, ut aues, omnia ad
Occasum ferri videntur. Quippe terræ circumactū
preuenterentur, & longo interuallo relinqueren-
tur, si tanta pernecitate circa axem mundi rotaretur:
Aut si motu terræ, & aër, & in aëre pendentia pa-
ri celeritate raperentur, consistere, non moueri quo-
quam apparent. At his omnibus euidentissima re-
clamat experientia. Nullo ergo motu terra mouetur,
sed quiescit.

Quarto, in circuli circumuolutione constat ma-
nere immotum centrum. Sed terra est in mundi me-
dio, ac velut mundi centrum, Ergo est immota.

Quod terra collata ad Cœlum sit ins- tar Puncti.

Etsi imperitis magnitudo terræ & amplitudo
immensa esse videtur, quod nec oculorum prospectu
fines ullos consequuntur, nec cum remotissima quæ-
uis loca adeunt, limites aliquos inueniunt, tamen ad
cœli magnitudinem comparatam, reuera instar pun-
cti esse, illustra $\Phi\alpha\upsilon\sigma\acute{o}\mu\upsilon\alpha$ indicant.

Primo, quod ex omnibus terræ partibus magni-
tudines & distantie stellarum iisdem temporibus æ-
quales similesq; cernuntur ubiq;.

Secundo, quod gnomones, & centra armillarum
sphericarum in quacunq; terræ parte ponantur,
tantun-